



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
Iesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

Qvæst. LXXXV. Vtrum sacramentum pœnitentiæ sit conuenienter
institutum?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

PARS ALTERA
De Sacramento Pœnitentiæ.

QVÆSTIO LXXXV.

Virum Sacramentum Pœnitentiæ sit conuenienter institutum.

VIDETUR non esse conuenienter institutum. 1. Quia quæ sunt de iure naturæ, non indigent institutione, nec congruenter alterantur per institutionem. Pœnitere autem de peccatis commissis, & querere doloris remedium, quo tollantur peccata causatiua ipsius doloris, est de iure naturæ, vt patet ex dictis supra quæst. 76. Ergo Sacramentum Pœnitentiæ non est congruenter institutum.

2. Quod præcessit in veteri Testamento congruit nouo. Præcessit autem in veteri Testamento Pœnitentia cum vi delendi peccata, vt colligitur ex Ier. 8. 6. maxime verò ex verbis illis cap. 18. 8. *Si Pœnitentiam egerit gens illa à malo suo &c. agam, & ego Pœnitentiam super malo, &c.* Ergo non debuit institui hoc Sacramentum in testamento nouo.

3. Conuenientissime demisit peccata Christus Dominus, quibus dimisit. Dimisit autem absque Sacramento Pœnitentiæ quo nunquam est vsus, sicut vsus est aliis Sacramentis, maxime verò Sacramento Eucharistiæ, ad communicandos eorum effectus. Ergo vsus Sacramenti Pœnitentiæ non est conueniens, & consequenter nec institutio eius fuit conueniens.

4. Non est conueniens, quod inducit facilitatem peccandi. Multi autem facile peccant propter spem veniæ facile obtinendæ per hoc Sacramentum. Ergo hoc Sacramentum non est conueniens.

5. Istud Sacramentum includit in se confessionem peccatorum. Confessio autem peccatorum non est conueniens. Primum quia, qui illam audit, malo exemplo, & excitatione malarum specierum inducitur ad peccandum. Deinde quia est onus nimis graue, & quale, nec in veteri quidem lege, vllum fuit, vt quis teneatur detegere alteri homini omnes latebras cordis sui omnemque materiam propriæ confusionis eidem exponere. Postremo quia impertinenter se habet ad remissionem peccati, vt peccator illud agnoscat, & confiteatur coram eo ad quem non spectat ratio offensæ reperta in ipso peccato. Ergo hoc Sacramentum non est conuenienter institutum.

6. Nulla duo Sacramenta ad vnum eundemque finem particularem conuenienter ordinantur. Extat autem Sacramentum Baptismi ordinatum ad remissionem peccatorum, vt liquet ex qq. 37. & 47. Ergo perperam hoc aliud Sacramentum superadditur ad eundem finem.

Art. 1. Respondetur ex dictis supra q. 34. & 35. constat pœnitentiam esse vnum ex septem Sacramentis nouæ legis, & quartum inter ipsa locum tenere, tam ordine perfectionis, & necessitatis, quam rationis, seu doctrinæ. Definitur autem communiter: *Sacramentum reconciliationis cum Deo post lapsum, in actibus pœnitentiis, & absolutione Sacerdotis per modum iudicij consistens.* Lapsus intelligitur personalis. Quia reconciliatio, post lapsum originale, non fit per modum iudicij; cum in iudicio simpliciter tali, idest accusatio, & emendatio rei; de iis tantum conueniri quisque debeat, quæ commisit propria voluntate. *Actus pœnitentis* intelliguntur congruentes reconciliationi cum Deo, per ministerium Sacerdotis

gerentis vices Dei. Quatenus reconciliatio fit cum Deo, qui *intuetur cor.* 1. Reg. 16. 7. requiruntur actus interni contrarij priori actui peccaminoso, & offensus Dei. Quatenus verò interuenit ministerium hominis impotentis peruadere ad arcana cordis, absque exterioribus signis, requiritur actus exterior confessionis manifestantis, tum peccata commissæ à quibus absolendus est reus, tum legitimus de illis dolorem internum, intuitu cuius absolendus est. *Ta per modum iudicij* significat absolutionem istam non esse prorsus gratiosam, sed aliquatenus onerosam, ac proinde debere imponi reo à Sacerdote conuenientem pœnam, cuius executione illis satisfaciatur pro suis peccatis. Demum quia Sacerdos nequit absolvere modo humano, ac proprio absolutionis impendendæ homini ab homine, nisi interiorem condonatoriam voluntatem, exteriori signo, palam faciat; intelliguntur comprehensa, in definitione, verba absolutoria Sacerdotis, simul cum vera intentione absoluedi.

Art. 2. Ex his apparet partes intrinsecæ constitutionis huius Sacramenti, esse actus in primis pœnitentis; nempe tum contritionem, vel attritionem internam qua recedit à peccato, & accedit ad Deum; à quo recesserat per peccatum; tum exteriorem confessionem, qua Sacerdoti, tanquam Iudici exponuntur peccata; tum opera satisfactoria iniuncta à Sacerdote in pœnam, & compensationem peccatorum: aliam verò præterea partem esse verba illa absolutoria Sacerdotis. *Ego te absoluo*, simul cum præcepto iniungente, ac determinante satisfactionem, quæ exhibenda est à pœnitente. Ex his porro partibus contritio; & confessio pœnitentis habent rationem materiæ; verba verò absolutoria Sacerdotis, & intentio absoluedi habent rationem formæ, vt colligitur ex Conc. Trid. sess. 14. cap. 3. Quia videlicet contritio, seu attritio, & confessio præmittuntur cum indifferentia, vt mox superaddatur, vel non absolutio Sacerdotis. Cuiusmodi indifferentia est propria materiæ. Adiungitur verò deinde eadem absolutio cum intentione præsupponens, per se, vtrumque cum actum pœnitentis, ideoque habens ex se maiorem determinationem, vt cum vtroque coniungatur. Quæ maior determinatio est propria formæ, vt expositum est supra in genere quæst. 4.

Art. 3. Quia verò in his duobus saluatur adæquate essentia reconciliationis huius iudicialis actus sumptæ, necnon significatio practica eiusdem reconciliationis passiuæ sumptæ, seu remissionis peccatorum, & infusionis gratiæ iustificantis; concluditur satisfactionem, tum prout iniunctam à Sacerdote; tum prout exhibendam à pœnitente, ipsamque eius exhibitionem esse partem intrinsecam, quidem, & substantialem huius Sacramenti, sed integram tantum. Ita videlicet, vt per ipsam perficiatur, augeatur atque ultimo compleatur significatio, & efficacia Sacramenti, & tamen eadem parte sublata, subsistat nihilominus essentia Sacramenti, nec non principalis eius effectus, qui est deletio peccatorum quoad culpā, & quoad pœnam saltem æternam. Quæ est communis sententia Theologorum, circa quam videri possunt, si placet, quæ dicta sunt in re simili, quæst. 60. Iam peccata ipsa sunt materia remota huius Sacramenti. Materia quidem, quia circa ipsa versantur, tum contritio, & confessio, tum absolutio. Remota verò, seu extrinseca, quia peccata pertinent ad hoc Sacramentum, formaliter quatenus peccata sunt. Nequit autem peccatum sub conceptu formali peccati esse pars intrinsecæ constitutiua causæ expiantis, ac destruentis ipsum peccatum. Quia nihil est causa, nec totalis, nec partialis destructiua alicuius ex iis quibus intrinsecè constituitur, cum primum existit. Verum de hoc redibit iterum sermo infra quæst. 90. ad 1.

Art. 4.

Art. 4. Expositis in hunc modum partibus poenitentiae, potest ipsa iterum definiri quasi physice. *Sacramentum delictuum peccatorum, constans contritione, & confessione poenitentis, atque absolutione legitimi Sacerdotis.* Vbi contritio ponitur secundum suum conceptum vniuersalem, prout praescindit à perfecta, & imperfecta. Additur verò *legitimi Sacerdotis.* Quia non quilibet Sacerdos potest absolvere valide à quibuscumque peccatis, & validum circa ipsa Sacramentum perficere, ut infra dicitur. His porro partibus in hunc sensum acceptis perinde est bona definitio data, atque est bona hominis definitio, quia dicitur cum esse compositum ex anima rationali, & corpore organico. Quae videlicet non aliter sunt partes essentiales hominis; atque sunt partes essentiales Sacramenti poenitentiae, confessio, confessio, & absolutio.

Art. 5. Demum, ex praemissa huius Sacramenti, & partium, quibus constat, expositione, apparet conuenientissime institutum illud fuisse: Quia effectus remissionis peccatorum, in quem ordinatur, est maxime congruens humanae fragilitati, & indigentiae huius remedij in illa fundata. Partes verò, ex quibus constat, sunt per idoneae, ut homo, iuxta exigentiam suae naturae perfectissime reformetur, ut infra clarius innotesceat, dum singulae seorsim partes diligentius, ac plenius exponuntur. Institutum autem est hoc Sacramentum, quoad suam substantiam, ac essentiam à Christo Domino post suam resurrectionem per illa verba directa ad Discipulos, quae habentur Ioan. 20. 22. *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittentur eis; & quorum retinueritis, retenta sunt.* Quo tam insigni facto, & verbis, tam perspicuis, subiungit Conc. Trid. sess. 14. cap. 1. *potestatem remittendi, & retinendi peccata ad reconciliandum fideles post Baptismum lapsos, Apostolis, & eorum legitimis successoribus fuisse communicatam, vniuersorum Patrum consensus semper intellexit:* Atque ita intelligi debere merito ibidem definitur, & infra opportunè colligitur.

Ad 1. Conceditur cum D. Thoma quaest. 84. art. 7. esse de iure naturae, quod quis doleat de malis, quae fecit, & quod quærat remedium doloris. Non tamen pronenit ex iure, & lege naturali determinatio, & efficacia remedij ad id sufficientis, praesertim pro statu praesenti eleuationis, & gratiae, in quo plura superadduntur ex benignitate Saluatoris; ultra ea, quae praecise sufficerent, & sunt necessaria; & in quo vires naturae non sufficiunt ad deletionem peccatorum, imò nec iuuarentur, quantum par, & conueniens est per sola interna auxilia supernaturalia gratiae, absque peculiaribus externis subsidiis, ut apparet ex modo dictis, & iis quae praemissa sunt in communi quaest. 11. Conuenienter igitur institutione speciali subueniuntur est fragilitati, & indigentiae humanae, pro re usque adeò ardua, & usque adeò frequenter necessaria, qualis est remissio, ac deletio peccatorum.

Ad 2. Dicitur, cum eodem D. Thoma ibidem, dari quidem, quoad plerumque, analogiam quandam inter vetus, & nouum testamentum; sed cum magno perfectionis excessu in nouo. Vnde licet daretur in lege etiam veteri aliqua exterior manifestatio peccatorum, saltem in genere, per oblationes expiatorias illorum, non tamen dabatur tunc potestas clauium cum collatione gratiae, & remissionis peccatorum ex opere operato, quae adest in lege gratiae, prouisis insuper ministris idoneis curationi, & directioni animarum. Quae sunt prerogatiuae mutantes, ac promouentes substantialiter modum poenitentiae proprium veteris legis.

Ad 3. Christus Dominus habuit potestatem excellentiam ad impertiendos effectus Sacramentorum, quam non habent inferiores Ministri, quos ipse sibi substituit. Habuit praeterea notitiam immediatam

omnium secretorum cordis, tam quoad peccata, quam quoad contritionem de ipsis, circa omnes homines quam notitiam ceteri nequaquam habent. Potuit proinde uti modo remissionis certissime optimo, maximeque accommodato respectu cuiusque, independentem ab externis adminiculis. Quod pariter dici non potest de ceteris. His igitur de causis decuit, ut Christus Dominus aliter, ac ipsius ministri, remitteret peccata; nec fuit conueniens, ut ipse quoad hoc, operaretur dependenter ab exterioribus instrumentis antecedenter praestitutis, prout oportet ut operentur ceteri. Quibusdam nihilominus aliis Sacramentis usus etiam est per se ipsum immediatè: propter speciales rationes, quae circa singula opportunè exponuntur; sed praesertim visus est Sacramento Eucharistiae ad commendandam specialiter, proprio suo usu peculiarem eius praestantiam, & dignitatem infinitam.

Quartum, & quintum argumentum sibi inuicem respondent ex parte. Ostendunt enim facilitatem obtinendi remissionem peccatorum per hoc Sacramentum, esse contemperatum iuxta proportionem difficultatis, quae inest, & contritioni perfectae, & confessioni. Ad quartum praeterea seorsim dicitur: In primis peccata non esse principaliter vitanda propter difficultatem obtinendi remissionem eorum, sed magis propter magnitudinem mali, ob quam sunt detestabilia quodammodo infinitè. Deinde incertum omnibus semper esse, an sit dandus Sacramenti poenitentiae locus; & rursus an peccator sit usurus bene tanto beneficio, casu, quo Deus illud sibi indulgeat. Denique fore maius inconueniens, si reditus ad gratiam esset difficilior, quam iam est. Nempe, existente maiori redeundi, ac resurgendi difficultate, quamplures ea de causa praecipitentur in vltiora peccata sine fine. Vnde euaderet maior absolute multitudo peccatorum, nec non hominum reproborum. Eo vel maxime, quia plerique peccant nihil cogitantes de facilitate, aut difficultate reditus ad gratiam; nemo verò ad eam redit, quin experiatur totam difficultatem, quae interuenit in redeundo, ac resurgendo. Expediens igitur magis fuit impedire permanentiam in peccato inducenda facilitate aliqua obtinenda venia quam ipsam veniae consecutionem reddere difficilem, ad vitandum lapsum.

Ad 5. Confessio imprimis fit à peccatore cum obligatione, & signis compunctionis, ac emendationis, atque cum exhibito humilitatis exercitio, & quidem maiori, quo maiora sunt peccata. Hac autem praesens bona peccatoris dispositio, ac operatio, valet magis per se ad aedificandum, quam memoria praetitorum peccatorum ad scandalizandum; certe aequiponderat, ut minimum illud bonum huic malo. Quod si quis nihilominus per accidens, praeuideat periculum peculiariter nocuum respectu sui ex particulari aliqua confessione audienda; potest, ac debet sibi consulere, abstinendo ab eius auditione. Deinde si fructus locus Sacramenti comparatur cum onere confessionis, leuissimum profecto apparet onus, & fructus maximus. Quid enim est confusio momentanea, nullum praeterea effectum temporaliter nocuum paritura, si componatur reconciliationi cum Deo, & beatitudini aeternae, vna cum curatione, & directione spirituali adhibenda opportunè à Sacerdote? Nihil profecto comparatiue leuius fuit in lege veteri; in qua videlicet nihil fuit, quod conferret gratiam, & dimitteret peccata ex opere operato, tamen multa iniungerentur absolute difficilia. Demum agnitio, & confessio peccati coram eo, qui gerit vices offensi, cum commissione, & potestate, ab eo facta ad iudicandum, & remittendum, non se habet impertinenter, sed omnino conuenienter ad remissionem offensa. Tales au-

tem

tem sunt Sacerdotes comparatione Dei offensi, vt infra dicitur.

Ad 6. Peccatum originale, & personale sunt longè diuersæ rationis. Oportuit proinde, vt diuersa pro vtriusque remedia instituerentur. Peccata namque personalia superueniunt, sæpe de nouo alia, atque alia post demissionem eorum. Præterea committuntur ab vnoquoque per errorem proprii intellectus, atque per deuiationem propriæ voluntatis. Ac demum sunt occulta ex sua natura, saltem vt plurimum, aliis quam committenti ipsi. Ob hæc igitur oportuit, vt in illorum remedium institueretur Sacramentum, quod, & iterabile esset, & exigeret motum liberum peccatoris à peccato ad Deum, & interponeret iudicium, ac directionem Sacerdotis, cui ad hunc finem innotesceret per confessionem status, & indigentia pœnitentis, quale Sacramentum est Pœnitentia. Baptismus verò principaliter institutus in remedium originalis peccati, est diuersa quoad omnia conditionis, quia peccatum originale habet proportionalem quoad eadem diuersitatem, à peccato personali.

QVÆSTIO LXXXVI.

Vtrum Sacramentum Pœnitentiæ sit necessarium necessitate mediij?

Videtur non ita esse necessarium. 1. Quia id est necessarium necessitate mediij, sine quo non potest haberi finis, vtunque contingat illud abesse. Finis autem hominis potest haberi absque isto Sacramento, per contritionem, etiam post lapsum subsecutum ad Baptismum, præsertim si desit copia Confessionis. Ergo non solum iis, qui nunquam amiserunt gratiam Baptismalem, sed neque etiam lapsis post Baptismum est necessarium istud Sacramentum necessitate mediij.

2. Contritio perfecta non est necessaria ad salutem necessitate mediij, vt est in confesso apud omnes, idque præcisè; quia potest suppleri per Sacramentum Pœnitentiæ cum contritione imperfecta, seu cum attritione. Perinde autem est supplebile Sacramentum per contritionem perfectam. Quæ videlicet inducit sufficienter se sola effectum principalem Sacramenti. Neutrius igitur necessitas potest esse maior, quam alterius.

3. Institutio huius Sacramenti non erat necessaria ad salutem necessitate mediij; quandoquidem poterat Deus pluribus aliis modis providere sufficienter de conuenienti remedio. De quo nemo est qui dubitet. Ergo nec ipsum Sacramentum est taliter necessarium ad salutem. Patet consequentia, quia existentia alicuius remedij non potest augere necessitatem eius, nec est possibile; vt sit necessarius vsus rei, quæ vt existeret, necessarium non erat, aut non erat vsque adeo necessarium. Ne nimirum dicatur magis esse necessarium consequens, quam antecedens. Quod est patenter absurdum.

4. Necessitas mediij, neque conuenit huic Sacramento ex natura rei, neque ex libera dispositione, & lege Dei. Non ex natura rei, quia potuit institui hoc Sacramentum, tanquam medium præcisè vtile ad salutem, quod ita prodesset potentibus, & volentibus vti, vt tamen nihil deesset necessarium nolentibus, aut non volentibus vti. Hoc videlicet modo instituta sunt etiam de facto plura Sacramenta, nempe omnia præter Baptismum. Sed neque ex libera dispositione, ac lege Dei descendit eiusmodi necessitas. Quia de his, quæ pendent ex libera Dei dispositione, nihil sciri potest nisi per reuelationem ipsius. Nulla autem extat

reuelatio, quæ nos implicate vel explicite doceat de tali huius Sacramenti necessitate. Quia præcipua, & cæteris clarior, circa ipsum, reuelatio habetur in verbis paulo superius indicatis ex cap. 20. Ioan. atque ibi sola declaratur institutio huius Sacramenti, quam fieri absolute potuisse seclusa ea eiusdem Sacramenti necessitate, de qua disputatur, nuper tanquam omnino certum meritò suppositum est.

5. Priuilegium, & fauor specialis non debet nocere priuilegiato. Sacramentum autem Pœnitentiæ est priuilegium, & fauor specialis noui testamenti; Idemque nihilominus noceret Christianis, si saltem pro casu impotentiae confitendi non possent licitè, & validè vti remedio legis naturæ, & veteris testamenti ad deletionem peccatorum personalium. Quæ vtique deleri tunc poterant absque viti omnino dependentia ab hoc Sacramento; essentque propterea deterioris conditionis Christiani si iustificari nullatenus possent pro villo euentu independenter ab eodem.

Art. 1. Respondetur. Necessitas mediij differt à necessitate solius præcepti, quatenus si inculpabiliter deficiat, quod est necessarium, ex solo præcepto ad finem vitæ æternæ, non propterea impeditur consecutio finis. At si desit, quod est necessarium necessitate mediij, eo ipso impeditur consecutio finis, siue culpabiliter, siue inculpabiliter illud defecerit. Vnde auditio sacri in die festo, ieiunium quadragesimale, & similia sunt necessaria, necessitate solius præcepti, ad consecutionem vitæ æternæ. Quia si inculpabiliter omittantur, non propterea amittitur vitæ æterna. Baptismus verò respectu existentis in peccato originali, & contritio respectu adulti existentis in peccato quouis lethali, & si quæ sunt similia, sunt necessaria necessitate mediij. Quia fieri potest, vt propter solum eorum defectum etiam inculpabilem amittatur vitæ æterna. Cum ista ratione discriminis coincidit hæc alia. Id nimirum esse necessarium, sola necessitate præcepti ad vitam æternam, quod necesse est, seu facere, seu omittere præcisè ad vitandum peccatum lethale de nouo. Id verò esse necessarium necessitate mediij ad vitam æternam, quod est necessarium ad delendum peccatum lethale præexistens, & ad habendam primam gratiam; seu sine quo, non potest, aut haberi prima gratia, aut deleri peccatum lethale præexistens.

Art. 2. Sacramentum autem pœnitentiæ est necessarium ad delendum peccatum præexistens, & fieri potest, vt eodem Sacramento inculpabiliter deficiente, impediatur quis à consecutione vitæ æternæ, quam obtenturus fuisset superaddito solo Sacramento ultra cætera, quæ sibi iam inerant. Nam si quis existens in peccato lethali & verè æstus, atque efficaciter volens confiteri, sed non habens copiam Confessionis, ideoque inculpabiliter carens hoc Sacramento, moriatur in eo statu; proculdubio damnabitur. Et tamen saluandus fuisset, si potuisset confiteri, atque de facto obtinuisset absolutionem sacramentalem. Igitur Sacramentum Pœnitentiæ, est necessarium ad vitam æternam necessitate mediij iis, qui post baptismum lapsi sunt in peccatum lethale sicut, est necessarium Sacramentum ipsum baptismi nondum regeneratis, vt habetur ex Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. sine. Quæ de causa Sacramentum hoc dicitur ab eodem Concilio secunda tabula post naufragium.

Art. 3. Verum necessitas mediij potest esse, vel omnino determinata, vel indeterminata, ac disiunctiua. Determinata, si medium sit vnicum, & insupplebile. Indeterminata verò, ac disiunctiua, si medium non sit vnicum, possitque suppleri per aliquid aliud. Potest autem suppleri Sacramentum Pœnitentiæ, prout in re susceptum, per actum charitatis; seu perfectè contritum